



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Dedicatio. Reverendissimo, Perillustri Ac Amplissimo Domino Domino
Josepho Collegii S. Arch-Angeli Michaëlis ad Exemptas Insulas Wengenses
Ulmæ Prælatio Dignissimo Sacræ Cæsareæ Majestatis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

DEDICATIO,
REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI

AC

AMPLISSIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO

Collegii S. Arch - Angeli Michaëlis ad
Exemptas Insulas Wengenses Ulmæ

PRÆLATO


DIGNISSIMO

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
CONSILIARIO AC SACELLANO

PERPETUO

DOMINO MEO

PERQUAM GRATIOSO.





REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS
AC AMPLISSIME

DOMINE PRÆLATE,
DOMINE PERQUAM GRATIOSE.

Consecrabam ingenii mei quantumlibet exigui primitias, Paraphrasin elegiacam Hymnorum Ecclesiasticorum, DEO, Deiparæ, Divis. Tam æquum id erat, quam quod æquissimum. Ut enim omittam, Deo aliquando Primitias debitas fuisse præcepto, postmodum & Deiparæ caterisque

) (3

Divis

DEDICATIO.

Divis sacras extitisse, existeréque decentiâ & consiliô ; ut taceam superstitosæ Antiquitati nihil fuisse, nec Antiquitate illa posterioribus sæculis quidquam debere esse antiquius, atque à Iove (Deo Opt. Max.) ducere principium : ipsa profectò materia, quam laborum meorum initiis delegeram, eiusmodi fuit, quæ non monere, sed imperare videbatur, ut eadem non nisi tantis Præsidiibus inscriberem. Quamquam enim nemini perinde atque mihi compertum erat, quàm illa essent tenuia & propè nauci : adeò tamen istud non movit, quò minùs, quod auspiciabar iuvante Cœlo, Eidem addicerem & consecrarem ex asse, ut etiam impelleret. Occurrebat scilicet illa divi Nazianzeni sententia Orat. 19. in hæc asserentis verba: quòd super altare (Templi Salomonii) neque securis ascendisset, neque visa aut audita ascia esset, significabatur, nativum & simplex ac fuci expers esse debere, quidquid Deo consecratur.

Postquam igitur summo officio, quod prætermittere tam non fuisset æquum, quàm non pium, quoquo modo est à me satisfactum : ad præstandum alterum omni cogitatione mihi putabam contendendum. Neque

DEDICATIO.

que illud aliud est, quàm quod tibi, Reverendissime ac Amplissime Domine, debeo. Cui enim post Deum Cœlitesque me proximiori officio obstringit seu iurata invocatis Divis Obedientia, seu verè paterna tuorum & inter tuos meî præprimis Cura, seu tot in me indignissimum collatæ, cumulatæ, inquam, Gratia, seu mitissimus tuus in nos omnes & Tutoris & Mecoenatis & Parentis & Fratris (nunquam Domini, ex dignitate qui es) animus ?

Ad istud ergo officium pariter pro viribus explendum eo ex tempore omnem cogitationem referebam. Quæsi vi materiam Amplissimis tuis auspiciis non indignam. Sanctam exigebat tua in res Divinas propensio, tua in Deum Deique Amicos pietas, tuum in cultu illorum promovendo studium, tua pro decore Domus Dei è Davidis zelo incensa industria. Aliam tempus non magis obtulit, quàm obtrusit, ita profanam, ut minùs sit recessurus à sacris, qui magis ad scopum illius accesserit. Telemachi Ulyssis filii Peregrinatio est, eventu factorum mirabilis. Scripta fuit à Reverendissimo ac Illustrissimo Fenelonio, Principis Burgundici, in spem regni Gallici geniti, olim In-

DEDICATIO.

structore, postea Archi-Episcopo Camera-
censi, ea ubertate ingenii, ea eruditione di-
sciplinæ Politicæ, ea soliditate præceptio-
num ad mores eius, qui sit imperaturus,
pertinentium, ut in admiratione & amori-
bus totius Europæ, meliores litteras & im-
perandi instituta ambientis, ad hoc tem-
pus extiterit. Nolim ego prolixior esse
in laudando hoc Opere, cuius ea summa
laus est, quòd ipsum quidem in nullum
unquam vituperatorem, sola Clarissimi Au-
ctoris intentio in criminationem inciderit.
Satis mihi erit paucis exponere, Opus istud,
ut est à me latino idiomate affectum, tuis,
Reverendissime ac Amplissime Domine, ho-
noribus dedicare non modò, ut antè dixi,
decere ex officio, sed congruere etiam ex
materia.

Profectò si quis vel obiter apud animum
suum voluerit repetere, Te aliquando in-
tradendis latinæ linguæ aliarumque huma-
norum disciplinarum præceptionibus ipsos
septem & viginti annos tam incredibili mo-
lestia, quàm ferrea patientia constantiæque
fuisse versatum: tam is non malè iudicabit
congruere, Opus in Latinam linguam à me
traductum dicare Tibi, ut hanc volunta-
tem

DEDICATIO.

tem etiam laudandam existimaverit. At alia sunt, ex quibus statuebam congruenter me agere.

Libeat materiam præclarissimi huius Operis attingere vel levi digito. Fiet istud agenti palam, Telemachum relicta inter procorum insidias molestiasque Penelope quærendi Ulyssis genitoris causâ sapientissimo Mentore (Minerva personata) duce diversa suscepisse, & discriminis plena itinera. Ecce Ulysses, Penelopen, Mentorem & Telemachum totius ferme Operis caput & idoneæ voluntatis meæ argumentum! Ulysses certè vix quisquam ignorat viginti omnino annos abfuisse aut potiùs exulâsse domo, terras mariâque obiisse infinitis erroribus. Atqui longè meliorem Ulysses proximè elapso sæculo superius aspexit in Viro Reverendissimo, Nobili Ulmensium sanguine procreato, & Collegii nostri Præposito Ambrosio Kaut; quippe quem triste temporis illius ingenium Domo, cui præsidebat legitima potestate, eiectionem alienas terras non minus viginti annis exulem obire coëgit: donec fidissimo optimoque Eumæo Carolo V. Imperatore iubente Ulysses hunc suum pastoris verè

DEDICATIO.

boni & verè fidelis habitu afflicta Penelope, Collegium, inquam, nostrum, recepit, virtute, non forte tanti Herois transfusa in substitutos successores.

Mentorem porrò quem dixerim, nisi Te, Reverendissime ac Amplissime Domine? Recusabit tua demissio tantum nomen non minùs ac Mitram ab animo tuo recusari olim declarabant recens Electo Tibi expressæ lacrymæ. At nunquam leviùs peccamus, quàm cùm laudandò graves modestiæ existimus. Est enim hæc ipsa pars magna modestiæ modestè & non graviter ferre, quas laudes de illa exemplo posteritas accipit. Mentorem ergo Te facio; imò Tu Ipse Te. Quid enim? Erudivit ille pueritiam & Iuventutem Telemachi; Tu (quod suprà laudavi) illius, Cui cum potestate nunc præes, Collegii. Conformabat ille optimis præceptis Alumni sui animum, quibus se Heroum albo & optimorum Regum insereret; Tu illis placitis imbuebas discipulos, quibus eluctati sunt in Aulas Principum, in Cathedras docentium, in apicem Regalis Sacerdotii, in fastigia Mitratæ dignitatis. Ducebat ille Ulyssis filium longa difficillimâque itinera; adiuvabat in laboribus; consolabatur in ærumnis; comitabatur,
imò

DEDICATIO.

imò plerumque antecedebat in periculis:
confirmabat afflictum: erigebat deiectum:
instaurabat corpore animoque fractum.
Sed & Tu, Reverendissime ac Amplif-
sime Domine, melioris Ulyssis filios, nos,
inquam, illius per viginti annos constan-
tissimi Exulis Ambrosii posteros ducis per
iter Religiosæ Perfectionis, quo quidem
aliud nec longius, quia eundem terminum
habet cum vita, nec difficilius tum ob fra-
gilitatem incedentium, tum ob malignas
vires illud infestantium. Tu nos adiuvas
in laboribus, quos seu Chorus Canonicis
imperat, seu Apostolici Ordinis sectatori-
bus animarum cura demandat, seu rei fa-
miliaris administratio censu Christi vieti-
tantibus imponit. Tu consolaris in æru-
mnis, dum aliàs peramanter invisis tenta-
tos sinistra valetudine, aliàs agitados adver-
sâ benignè suscipis, aliàs subsidia ad-
quascunque necessitates indigentibus di-
ligenter, quin anxie properas. Tu co-
mitaris, imò tu ita antecedis in periculis,
ut ea ferè unus adeoque excipias, ut ple-
rumque, ad quos eadem discrimina per-
tinent, discrimen non adesse, sed tantum
cognoscant adfuisse. Unde merito dicere
cum Apostolo 2. Corinth. 11. posses: *In*
peri-

DEDICATIO.

periculis saepe : - in labore & ærumna: - quis infirmatur & ego non infirmor? Docebat porro Mentor Telemachum : diligebat ut alumnus : amabat ut filium. Et Tu nos doces verbo ; doces exemplo , & isto quidem tantum non unice. Tam gratus utinam fuerim demissioni Tuæ , quam innoxius exempla illa memorandò , quæ , ut dignitas Dominum , charitas Patrem , demissio quasi unum ex nobis ; sic illa Te Magistrum salutis nostræ constituunt ! Quam non pauca allegarem specimina virtutum , quæ Te vitâ longè amplius , quam dignitate removerunt à vulgo. At dabo istud Modestiae Tuæ , ut quantum alii gaudent ornamenta sua luci exponi publicæ , Tu tua mandes latebris & solitudini.

Sunt tamen omnino duo , quæ , quam in Mentore illo fuerunt notabilia , tam in Te præteriri non debent. Et Mentor quidem cum emineret in Ulyssis Regia , formandis Regii hæredis moribus præfectus , adeò tamen ab omni luxu abhorruit , ut illustriora Architectonicæ ornamenta templis duntaxat Deorum censeret permittenda. Verissima species Tui, Reverendissime
me

DEDICATIO.

me ac Amplissime Domine, ingenii, quod, quàm in aliis non patitur apparatus decusque luculentius, tam in sacris id appetit. Inde fuit magnanima illa contentio, qua anno superiore es aggressus templo nostro triste & bene trium sæculorum senium formamque hodiernis temporibus invisam detrudere, modisque optimis emendare; magnanima, inquam, contentio, quia non suscepta clauso, sed aperto Iani Teutonici templo, ubi propinqui Mavortis impetus, subditorum angustia, horror non longinquus discriminum tanto operi se audent inferre, Tuisque auribus obstrepere. Mentor denique non semel legitur peregrinanti Telemacho Matris suæ inter domesticas angustias dolentis, Penelopes, vehemens desiderium admovisse. Et cuius Tu Matris desiderium cultumque nobis admovere coniteris? Matris nimirum dolentis seu Dolorosæ; Cuius Doloribus sanctissimis maiori cum fructu recolendis, annus est, cum decreveras, ut per Quadragesimam sexta quaque Feria locò Psalmi 50. Planctus B. V^{nis} seu *Stabat Mater* solenni cantu frequentetur.

Habes,

DEDICATIO.

Habes, Reverendissime ac Amplissime Domine, causas, ex quibus iudicabam & æquum esse ex officio & congruere hoc Opus novo idiomate dedicare Tibi. Quamquam autem quatuor ferme annos hoc me officio conabar expedire: citius tamen per tempus non licuit. At *Dummodo morata* (Dedicatio) *rectè veniat, dotata est satis.* Plaut. in Aulul. Rectè autem veniet, si, quem negas nemini, benigno eam obtutu præsidioque non dedignabere. Etsi denique *Non quacun- que manu victima cæsa litat:* Martial. lib. 10. litabit certè ista, quippe profecta manu, observantiæ & imperiis Tuis devota Sacramento, totaque voluntate, qua, quantum spiro, spirabóque, perennaturus sum
Tuus,

REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS
AC AMPLISSIME DOMINE

Servus & Filius obedientissimus
P. Gregor. Trautwein.